

X. 14. 6  
Vd  
3287

RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**ERNESTVS**  
**CHRISTIANVS**  
**SCHROEDERVS**  
LOGICAE ET METAPHYSICAE PROF  
PVBL ORDINARIVS  
CIVIBVS ACADEMICIS  
S P D



RECTOR  
ACADEMIAE ALTMERGENSIIS  
ERNESTVS  
CHRISTIANVS  
SCHROEDERVS  
LOGIQUE ET METAPHYSIQUE PROB  
LITER. ORDINARIAS  
CIMBAS ACADEMICIS



Confecto feliciter itinere, redit in patriam FRIDERICVS CHRI STIANVS, Regis, et Principis Electoris, Filius natu maximus, tantis animi ingeniique excelsi dotibus florens, ut Regiae, et altissimae cuiusque, fortunae capacissimus merito iudicetur. Hic, quanta sui fama Italiam omnem nuper impleuit, tanto nunc Saxoniam gaudio, publico pri uatoque, complet. Diu nobis expectatus desideratusque fuit, quo praesente, SPES PATRIA E uiget, quo absente, eadem relanguescere uidebatur. Hoc enim non poterat non fieri, cum Princeps Iuuentutis, transcenso Alpium iugo, non solum interiorem peragraret Italiam, sed etiam, Apennino saepius superato, Campaniam peruagatus, ad remotissimum Regni Neapolitani recessum perueniret.

Peregrinatio tam longa, quantas, quaelo, uiarum difficultates habuit, quantum periculorum, inter fauces montium, aelstus fluuiorum, saxa prae*ru*pta, syluarum ualliumque profunda, tot denique incomoda, quae, sub alieno coelo, mutatis creberri me locis, mutato aere, mutato uictu, inter calores immensos, perferuntur. Quoties lugubribus magnisque constitit exemplis, his itinerum Italicorum periculis atque malis succubuisse, qui, ratione bene subducta, omniq[ue] sui cura, cursum tenuerint, qui robore polluerint, qui, molestiarum laborumque tolerantia, uisi sint obduruisse. Indicio sunt tot mortes, passim oppetitae, Germanorum illustrium, quorum tumuli adhuc cernuntur, ipsorum etiam, ne multa, Imperatorum, e Saxonibus quidem ipsis, Ottonum, secundi et tertii, quorum ille Romae moritur, hic in castello, Paterno, ex Lucemburgicis, Henrici septimi, Pisis sepulti.

) ( 2

Haec

Haec Principi suo, in Italiam cogitanti, timet ciuum pietas, haec ipse Princeps haud ignorat, tanti tamen ea cuncta non putat, ut ideo consilium abiiciat Italiae, quod diu cupierat, uidendae. Scit enim, Italiam diuinas humanasque literas, ipsas quoque leges, et omnem ingenii cultum, Transalpinis populis olim tradidisse. Nouit grandia prudentiae ciuilis documenta, quae Italia omni tempore dederit, quibus adhuc glorietur, quae, non pudeat alias politissimasque gentes, imitari. Videt denique uestigia, fastis impressa, Maiorum suorum, quibus dulce fuit, Italiam adire. Hac mente, e propiore memoria, recordatur IOANNIS GEORGII PRI MI, huiusque Nepotis, IOANNIS GEORGII TERTII, huiusque Filiorum, IOANNIS GEORGII QVARTI, et FRIDERICI AVGUSTI, Patrui Magni Auique sui, Patris denique sui, FRIDERICI AVGUSTI, Clementissimi Regis nostri. Omnes hi, quasi studio quodam hereditario, in Italiam profecti sunt, eius mores, instituta, ingenia, inuenta, explorarunt, eius intelligentia elegantiaque Regiam suam, aliarumque Arcium delicias, excoluerunt, ex ea plurima ingeniosi artificii opera in Saxoniā intulerunt, quae, multa cum animi uoluptate, spectant adhuc in Dresenensibus Admirandis

His ergo Ille Maiorum uestigiis insistit, magna que exquirit uiditate, quicquid praeclari habet Italia in noua ueterique arte, quicquid, in antiquae magnificentiae spoliis, in prudentia maxime tractandae reipublicae, ciuumque regundorum. Habet, quod admiretur, ac memoriae mandet, Venetiis, Mediolani, Florentiae, Neapoli, in tot aliis Italiae ciuitatibus, antiquitate et amplitudine sua claris

Sed, Romae, intelligit, eum cognitionis multiplicis personaque sua dignae, principatum esse deferendum, ut, quae alibi singula, haec in Vrbe universa

uersa, reperiantur. Itaque diutius, quam prius constituerat, Romae diuersatur, ubi florem prudentiae, et eloquentiae, omnisque urbanitatis, Italicae inuenit, cum tot tantisque Romanorum Proceribus, cum Legatis tot gentium, cum Principibus diuersorum populorum, cum uiris aliis, dignitate, ingenio, scientia, praestantibus, uersatur, horumque sermonibus pascitur, nihilo secius, ac pabulo quodam iucundissimo animi, magnis rebus atque exquisitis intenti. Hic, intentis oculis, acerrime contemplatur maiestatis Romanae, quae adhuc in ruinis spirat, monumenta, Capitolium, Templia, Theatra, Amphitheatra, Circos, Statuas, Arcus Triumphales, Columnas, Obeliscos, totque alia, quae mirari facilius possis, quam enarrare. Hic magnifica Nouae Romae opera considerat attentius, in Templis, Statuis, Picturis, et compluribus artificum excellentium experimentis, quorum et uarietate gaudet, et inuentione recenti, et mira pulchritudine. Hic Bibliothecas, Vaticanam maxime, Italicarum reginam, inuisit, Numismatum antiquorum, Gemmarum, aliosque antiquitatis eruditae, thesauros cupidissime scrutatur, cumque Roma semper aliquid noui, uel eritis priscae memoriae pignoribus, uel in foetu ingeñiorum uberrimo, proferat, inexhaustam noscendi cupiditatem explere uix potest

Sed Romana dum suspicit, ab Romanis ipse suspicitur, qui Hospitis, tam rari carique, praestantiam extollunt, iudicantis perite de rebus maximis, de omni scientia liberali, omnique genere artificorum elegantiorum, quibus Italia, in Architectura, Pictura, Statuaria, Caelatura, aliisque, excellit. Neque enim scientiae, quam iudicium, his de rebus faciendum, requirat, studium nunc primum, ut multi peregrinatores, arripit, sed usum eius exercitatiorem domo iam affert, uaria disciplinarum

narum tractatione pridem subactus. Quo fit, ut, et  
uetera promptius intelligat atque noua, et artifi-  
cum ipsorum oculos ad se conuertat, hominibus au-  
tem, cultissima quaque ac seuerissima expolitis do-  
ctrina, tale Principis specimen dare uideatur, qua-  
le Plato optimae reipublicae tribuerit, ut Principes  
philosophentur, in uario sapientiae cultu. Miran-  
tur haec Principis Regii decora, sub oculis omni-  
um posita, Romani, mirantur alii, ad quos idem  
uenit, Italiae populi, quorum in scientia, elegantia,  
gazisque uetustis, nihil est tam reconditum, quin,  
nostris Principis industria, peruestigetur

Ipsa quidem Vindobona, Principis egregii fa-  
ma, ubique disseminata, commouetur, sed, aduen-  
tantis eiusdem praesentisque decoribus, comperit,  
haud paullo se minus, quam audierit, uidere. Qua-  
tanta re Principis nostri modestia non impeditur,  
quo minus Nouae huius Romae excellentiam, in  
omni genere praecipuam, ante oculos sibi constitu-  
at, eaque nauiter ponderata, animaduertat, se nunc  
démum in eo commorari loco, quo confluat, quic-  
quid domestici sit externique splendoris, ubi pru-  
dentia Orbis regundi lacertos moueat, clauumque  
teneat, ubi sedes Imperii sit, consilii, dignitatis, au-  
toritatis. Hic ergo, in complexu Auiae Augustae,  
**VVILHELMINAE AMALIAE**, suae quidem  
in eam pietati indulget, ut profectionem differat,  
operae tamen suae pretium simul facit, tot Aulae  
Caesareae Proceribus, tot Principibus, tot summis  
splendidissimisque uiris, pro suo meliora cuncta no-  
scendi studio, familiariter usus. Sed acquiescit de-  
mum in aspectu, ac ueneratione, Caesaris Augusti,  
**CAROLI SEXTI**, in hoc sibi uifus illius sapien-  
tiae, quam peregrinatione sua confectatus sit, Ora-  
culum, Maiestate ipsa, inter mortales altissima, sa-  
crum, reperiisse. Qua quidem re Imperatori Sanctis-  
fimo,

simo, Sagacissimoque indolis excitatae Existimatori, et tanto magis suas probat uirtutes, quanto diligenterius ab eo cognoscitur, et, Maximi Caesaris ornatus iudicio, nullius iam, uel amplissimae, laudis eget, quae quidem in Principem, insigni gloria praeditum, cadere possit. Itaque, et Vindobonam sibi experitetur plaudentem, et tantis omnium gentium celebratur laudibus, ut, quotquot harum Saxonibus fuent, eis Principem, tam singularis exempli, certatim gratulentur

Quo expectatio igitur est reuersio Principis nostri, eo maiore nos suauitate perfundit. Recuperamus enim illum, non modo saluum atque incolument, sed nouis etiam maximisque gentium prudenterissimarum, atque humanissimarum, decoribus exornatum. Ex ea re, quantum ornamenti accedit Saxoniae, tantum nouae amplificataeque spei eidem affertur. Proinde maximorum nihil est bonorum, quod a summis nostri Principis eminentissimisque uirtutibus Saxoniae non uideatur expectandum

Postulat igitur religio, ut Dei immortalis beneficium, conseruatione nostri Principis, eiusque noua, in cultu animi pristino, exornatione, Saxoniae datum, publice ueneremur, agendisque, quas debemus, gratiis, grati memorisque animi pietatem testificemur. Postulat spes Saxoniae, nouis Principis ornamentis aucta, ut pro SPE PATRIAЕ, omni ex parte nobis tuerenda, Deo supplicemus, quo PRINCEPS hic noster fospes praefetur ac florentissimus, fospite REGE, fospite REGINA, fospite omni REGIA STIRPE. Postulat obsequii sanctitas, ut redditum Principis

pis auspicatissimum gratulatione publica, ac subiectissima, colamus, eaque gaudii nostri, cum omni Saxonia triumphantis, sensum declaremus

Quod quidem ad munus pietatis nostrae, Oratione Solemni explicandae, cunctis Senatus Academici sententiis, delectus est Collega noster, *Ioh Guilielmus de Berger*, Consiliarius Caefareus, ac Regius Aulicus, Academiae Orator. Hic uerba faciet in Arcis Aede, XVII Calendas Octobres, ab Hora Nona Matutina

Sed ea res, quae Principis apparatur honori, festa celebritate, in Aede Academica, Arci coniuncta, peragenda est. Hic uocum, neruorum, tibiarumque, concentu, et tubis tympanisque certantibus, animi hilaritas excitabitur, hic spes, ex bonis omnibus, auguriisque pulcherrimis, conceptae, confirmabuntur, hic uotis, religiose suscepitis, cultus obsequii, in gratulationem effusi, finietur

Quibus quidem Solemnibus, pie instituendis, neminem, scimus, nostrum deesse uelle, neminem, totius huius ciuitatis, cuiuscunque dignitatis atque ordinis, ex iis, qui literis uel dedunt se, uel fauent. Supereft, ut, diei praestituti, locique condicti, ut officii simul nostri sanctissimi, memores, laeti hilaresque conueniamus, et obsequii, communi paren- di lege deuincti, religione ceremoniaque per- fungamur. P· P· Idibus Septembribus,

A· R· G· CIO CI CC XL

---

VITEMBERGAE  
LITERIS EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI

Vd  
3287

2.14.6  
**RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
ERNESTVS  
KRISTIANVS  
HROEDERV  
ET METAPHYSICAE PROF  
PVBL ORDINARIIVS  
IBVS ACADEMICIS  
S P D**

B.I.G.

Black

3/Color

Magenta White

Farbkarte #13


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



BIBLIOTHECA  
PRONICKAVANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)